

Handschriftliches.

De emendando Ioannis Saresberiensis Polycratico.

Anteriorum Polycratici editionum ea est ratio ut duas editiones vetustas sequatur ceterarum omnium turba. et princeps quidem *in folio* ut dicunt expressa, quae nullum aut locum aut annum prae se fert, dicitur Coloniae prodiisse circa a. 1475. Gothicis quos vocant characteribus excusa est, litterae initiales postea lineola rubra adpicta distinguebantur.

exemplum vidi quod in bibliotheca regia Berolinensi adser-
vatur. sequitur quae Parisiis in fol. 1513 prodiit. hanc non
vidi. hae duae editiones si quid video utraque ad codicis
alicuius peioris exemplum excusa est, sed inter se plane
non cohaerent. ex his duabus conflata est ea quae Lugduni
Batavorum a. CIOIOXCV prodiit apud Franciscum Raphel-
lengium 8, curata ab anonymo H. L. B. qui in praefatione
haec posuit: 'Iohannem Saresberiensem . . . cum a multis
passim quaeri viderem et id frustra tamen, cum ab aliquot
iam annis exemplaria in librariis nulla prostant: ratus me
rem studiosis gratam facturum, si quod penes me exem-
plar haberem, typographo alicui recudendum traderem.
Quod cum fecissem curavi ut haec editio superioribus ali-
quan' o melior prodiret. Contuli igitur exemplar meum
cum duobus veteribus impressis, quorum alterum vir doct-
tissimus humanissimusque B. Vulcanius . . . alterum reve-
rendus ille senex Fr. Nansius benigne mihi suffecerunt.'
tertia igitur illa qua iste editor usum se esse dicit quando
prodierit conperire non potui. neque di boni multum inter-
est siquidem hanc, quae fundamentum editionis Raphelen-
gianae erat, principe editione peiorem fuisse postea demon-
strabo. itaque — sic enim verba praefationis intellegendam
videntur — solum Raphelengii servus proximam editionem
recudi curabat adpersis ad marginem variis lectionibus
modo ex principe modo ex ea quae hanc insequabatur.
Raphelengianae editionis fidelissimum apographum est ea
quae evulgabatur Lugd. Bat. CIOIOXXXIX apud Ioan-
nem Mairium 8 min. etiam Metalogicum complexa. et in
praefatione Mairius bonum libri ipsius omen ducens iam
in praefando anteriores verbo tenus transscribere haec
scripsit: 'I. S. cum a multis frustra passim quaeri intelle-
xissem . . . praelo typisque meis recudendum commisi
clarissimorum doctissimorumque Raphelengiorum' (manus
manum lavat) 'editionem sequutus cum veteribus doctissimi
humanissimique B. Vulcanii . . . ac reverendi illius quon-
dam senis Fr. Nansii codicibus impressis olim collatam
quam quoque vir quidam bonarum litterarum apprime stu-
diosus quem corrigendis operarum sphalmatis praefeceram
ad vetustissimum exemplum suum anno CIOIOXIII editum
summo studio ac diligentia recensuit idque unice operam
dedit ut pristino nitori cultuique Auctor hic restitutus quam
emendatissimus iam lucem adspiceret.' male sibi hercle
Mairius consuluit quod istum *virum bonarum litterarum
apprime studiosum* non nominavit. interim enim Mairium
ipsum mendacem nebuloneni *lucris studiosissimum*, veritatis

parcissimum putabimus, cui ab homine aliquo praeclara ista praefatio subpeditabatur qui scilicet ignorabat *eruditissimos* istos et *doctissimos Raphaelengios* iam editione anni 1513 usos fuisse. nam quod in editione librarius honestus iactat, aliquid novi subsidii ad *pristinum nitorem cultumque auctori restituendum* accessisse foedissime mentitur. ne verbum quidem mutatum est; etiam variae lectiones ad marginem ex Raphaelengiana editione fideliter repetitae sunt.

Magnam bibliothecam Patrum Col. Agr. (vol. XV p. 338—498 Polycraticus expressus esse dicitur) non vidi, sed non dubito quin eadem eius ratio sit quam Polycratici eius qui in maximae bibl. Patrum quae prodiit Lugduni in fol. 1677 vol. XXIII p. 242—409 legitur. is enim ex editione sive Raphaelengiana sive Mairiana nullo verbo mutato repetitus est. restat ex antiquioribus Amstelodamensis anni 1664, 8 min. quae etiam Metalogicum continet. hanc neque vidi neque quod non vidi aegre tuli propter causam quandam quam mox significabo.

Tertius et vicesimus excurrit annus ex quo Gilesius Oxoniae inter Ioannis Saresberiensis opera Polycraticum divulgavit (vol. III et IIII) ut ipse in praefatione dicit 'carefully collated throughout with the text of the Cambridge M. S. [Ji. 2, 31]'. adiecit 'numerous errors thereby corrected' esse. sed in his rebus foedissime mentitus est. nam consentit Oxoniensis haec editio ubique fere cum anterioribus ut putem, eam quam postremam in indice editionum Gilesius commemoravit Amstelodamensem ab eo typis traditam fuisse. perpaucis tamen locis codicem inspexit eiusque varias lectiones in fine cuiusque voluminis indicavit. quot vero non solum variantes lectiones omissae sed etiam errores aut commisi aut codicis ope facillime tollendi non sublatis sint, ex exemplis infra ponendis manifesto opinor adparebit. ex his simul adparebit codicem Cantabrigiensem ad eandem familiam pertinere ad quam pertinet Berolinensis is qui inter theologicos in folio scriptus est numero 161^{us}. hanc autem familiam mirum quantum praestare ea ex qua vetustissimae duae editiones expressae sunt, item exempla mea probabunt. itaque quibus locis Berolinensem codicem vulgatam antecellere docebo, eis Gilesius si modo voluisset mendosissimam suam editionem corrigere potuisset. — sed hunc hominem operam suam mentiando et iactando librario et hominibus doctis optabiliorem et sibi fructuosiore reddere studuisse minime miror; miror Anglos, homines et patriae gloriae litteratae ceteroquin optime consulentes et doctrinam et diligentiam minime aspernantes clarissimum

ecclesiae Anglicae lumen tam foede inmaculari sivilisse, inmaculatum huc usque perpurgare noluisse. dignus enim profecto Ioannes est qui cultiore habitu exornatus prodeat, homo et per se ingeniosissimus et eruditissimus et illis praesertim temporibus prope miraculi instar. Gilesio autem profecto quod Bentleii non saepe nascuntur pariter gratulandum atque Anglis dolendum; quod si eius aetate talis editio prodisset, neque a quibusdam laudata esset et equidem molestissimo vituperandi munere nunc superedere potuissem. vituperavi autem hominem ideo tantum, quoniam apud quosdam homines haud profecto contemnendos eius editionem in aliquo honore esse acceperam, et vituperavi vehementius quoniam mendacium quo foedius eo acerbiorum sibi poenam postulat.

Itaque primum quidem paucis exemplis declarabo quantum discrepet editionum antiquarum traditio ab ea quam codex Berolinensis sequitur. chartis autem parsurus siglis utar hisce: p = editio princeps r = Raphaelengiana m = maxima bibl. Patrum (solum ex hac aliquot exempla consensus cum anterioribus adtuli, ceteras hic commemorare inutile duxi. qui editiones inspexerit recte me statuuisse intelleget.) g = Gilesiana B = codex Berolinensis.

Veluti lib. I c. 6 *alimenta dispensat prg alimenta ministrat et dispensat B.* paullo post pro *hic* Bondamus recte emendavit *ictu*, varr. lect. p. 71, sed in talibus Gilesius non offendit. ib. *regni et exultationis suae prg regit et etc. B* 1, 7 *ponis cibusque nocentibus prg potibus cibusque nocentibus B* 1, 12 *Virgilius in Pharmaceutria prg nefariam incentiviam Virgilius B* 1, 13 *iuxta illud Virgilii: vox fugit ipsa p iuxta illud: vox fugit ipsa rg iuxta illud quod dicitur: vox fugit ipsa B* ib. *quicquid ei (bis) prg quicquid eidem B*

Sed non solum discrepat utraque traditio; quod Berolinensis mirum quantum prae editionum antiquarum codicibus praestat, haec exempla docebunt, in quibus quae aperte falsa sunt priore quoque loco ponam. 1, 2 *si tamen interdum prmg sed tamen interdum multo rectius B* 1, 6 plane insanum est *ex substantia dividua et individua pr et (pudet profecto hominis incredibilis stuporis) g.* quod solum rectum est exhibet B, nimirum: *ex substantia divina et individua* 1, 12 ad fin. nullum plane sensum praebet *quod genus sortes prg.* quo quanto praestet *quod genus sortis est B* nihil est quod demonstrat. 1, 13 *quod nisi me quacunqve rg quod nisi me quacunqve B*

Iam vides Berolinensis codicis praestantiam cuius plura

exempla adferre poteram; sed qui in talibus rebus omnino iudicare possunt satis me adtulisse concedent. quanta vero posteriorum editionum pravitas sit, optime intellegetur exemplis aliquot quibus iam principem editionem rectam lectionem exhibuisse demonstrabo reiectam illam nimirum a posterioribus editoribus. Gilesius autem ne inspexit quidem hanc editionem, quae si ingenue fatendum est omnium quae hucusque prodierunt longe optima est. igitur 1, 4 *aprum Calidoniae vastaverit Meleager* rmg *aprum Calidoniae vastatorem straverit* (nisi quod *stravit* B) *Meleager* p B, quod patet multo melius esse.

ib. *mirabilis si te casu solemnii* rmg, quod nescio num quis explicare possit. *miraberis si te casu solemnii* optime p B. ib. *inpetissime cave tamen ne Martem loquendi verbo quovis offendas* rgm. *rectissime cave tamen ne in artem loquendi verbo quovis offendas* pB 1, 8 *falso aut iocunda simul et* rg *aut simul et iocunda* pB 1, 9 *omnia siquidem unde doctrinam mathesis notat. At divina mathesis dum penultimam extendis* rg *omnia siquidem mathesis dum penultimam extendis* pB 1, 10 *ad fin. sunt* gr *sint* pB 1, 13 *familiaritatis eorumdem* gr *familiaritatis earundem* p *earundem familiaritatis* B

ib. *absurdum sed editoribus complacitum Tiberio nascituro praesignans Livia* gr *Tiberio nascituro praegnans Livia* pB ib. *tutiolem faciat* pB *tutiolem facit* rg ib. *ad fin. procedit ridiculus mus* rg *nascetur ridiculus mus* pB.

Tamen summa est Berolinensis auctoritas praesertim cum in principe non nulli loci videantur coniectura emendati esse, ut de eis taceam quae antea exempla corruptorum locorum ex ea protuli. veluti 1, 6 *ab aula Graeciae iam pridem missus est* gr *ab aula Graeciae iam pridem arceri iussus est* B, ut haud sciam an ingenio eius qui principem curavit haec correctio debeatur: *ab aula Graeciae iam pridem iussus est exire* p. contra interpolatricem manum Berolinensis nusquam ni fallor prodit, ut verae traditionis fidem ipsae interdum corruptelae faciant, cuius rei insigne exemplum est 1, 6 *licet ille flexerit manes* prg *licet ille fluxerit in aves* B. ceterum aliquotiens in margine alia lectio adfertur ex alio puto codice. de hac autem re hoc loco adcuratius quaerere longum est.

Venio ad eam rem demonstrandam quod Gilesius codicem habuit Berolinensi similem, quo tamen sive propter inperitiam incredibilem sive propter inertiam foedam uti noluit nisi perpaucis locis. nimirum 1, 4 *notior* rm, quo

multum praestat *nocentior* pBg, quod Gilesium ex codice Cantabrigiensi sumpsisse index docet variarum lectionum volumini adhaerens. similiter 1, 6 *exteriorum tumultuum spiritus concutiat* rg quod plane non intellegitur.

multum praestat *exteriorum tumultuum turba concutiat* pB a Gilesio non receptum. is enim satis habuit inter variantes lectiones hanc quoque commemorare: in textu vulgatam retinuit. 2, 8 *veruntamen quid in singulis prosit vel deceat* B et ex codice Cantab. g

2, 15 *oculis videatur esse substantia* r *oculis videatur esse subiecta* B, g ex Cant. itaque haec exempla quibus adici permulta alia

possunt, veram traditionem non minus docent ea codicum familia ad quam B et Cant. pertinent servatam esse, quam Cantabrigiensem Gilesio innumera suppeditare potuisse quae incuria omisit. quanquam hoc nomine non tam vehementer vituperandus est ac si vituperandus esset si B cum Cant. ubique consentiret. concedendum enim est aliquanto meliorem esse B quam Cant. veluti 1, 3 *interdum tamen colore et visu mitigatur* rB *interdum tamen colore et visu mitigatur* Cant., ubi *visu* rectum esse persuadent ea quae secuntur. 1, 13 *veruntamen homine ipso nihil potentius* rB, quod plane egregium est, cum de ominibus antea dictum sit per bestias editis, nunc de eis dicatur, quae ab homine ipso originem capiunt. multo peius (quanquam diffidas Gilesio) *veruntamen omine ipso nihil potentius* Cant.

Vt breviter dicam quod sentio Ioannes noster recensioe sibi ut ita dicam reddendus est, si propter nihil aliud, at certe propter locos veterum ab eo laudatos, quibus nunc, quae est textus condicio, uti plane nequimus. itaque qui recensendi laborem sibi inponere voluerit, usque dum criticae melius — qua de re vehementer dubito — subsidium inventum fuerit, ei Berolinensis codicis ope ut primaria, si non sola, nova editio adornanda erit.

Berolini.

Franciscus Eyssenhardt.

Berichtigung.

S. 624 Z. 20 lies *usu* statt des zweiten *visu*.

Bonn, Druck von Carl Georgi.